

1665, 43 33.  
CUM DEO!

DISCURSUS JURIDICUS

DE

RAPTU,  
32

*Quem*

Autoritate Magnifici Jctorum Ordinis Cele-  
bratissimi Jenensis Athenei

*Sub*

PRÆSIDIO

DN. GEORGII ADAMI STRUVII,

Hereditarii in Uhlstädt / Consilarii Saxonici,

in Salana nostra Antecessoris, Facultatis Juridicæ Se-

nioris, Judicii Provincialis Saxon. & Scabi-

natūs Assessoris Gravisissimi,

*Dn. Patroni ac Preceptoris sui etatè submissè*

*sibi devenerandi,*

publico eruditorum examini expositurus est

*h. lq. consuetis d. 10. M. Jun. A. Æ. C.*

*M. DC. LXV.*

JOANNES BALTHASAR HIMMELIUS,

Orlamendensis,

AUTOR.

---

J E N Æ,

Literis excudebat JOHANNES NISIUS.

CUM D. 101  
DISCURSUS JURIDICUS

DE  
RAPTU

Antonius Magister Juris in Ordine Cele-  
brationi Jennis Arenti

PARADISO  
D. GEORGII ADAMI STRUVII

Magistri in iuris Consilii Saxoniae  
in P. in iuris Auctoris, Facultatis  
in iuris Juris in Saxoniae  
natus A. 16. Junii 1644

Dr. P. in iuris Auctoris, Facultatis  
in iuris Juris in Saxoniae

Publico ex officio examini copulato  
in iuris Juris in Saxoniae  
1670. EX.

LOCANTIS P. in iuris Auctoris, Facultatis  
in iuris Juris in Saxoniae  
AUCTOR

Licentia excubata Johanne N. N.





DEO AUTORE!

PROOEMIUM.



Emo enim verò sanorum, quin, quòd benè vivimus, (ipse quidem hic spiritus, per quem quilibet est, nobis ab immortali DEO) sacram legum munus sit, dubitabit. Nimirum cum lex omnes obliget ad obedientiam, aut pœnam, *l. 2. ff. de LL. & l. 7. ff. eod. fac. Nov. 1. c. ult.* fit ità, ut, quam in vitia præceps natura minùs vult, justus pœnarum metus superveniens vitam det emendatiorem. *arg. l. un. C. de rapt. virg. §. 2. vers. Si enim., l. 31. ff. depos., l. ult. C. de Episcop. & Cler., & l. 20. ff. de pœn. jange c. omnis autem lex. Dist. 3. & c. facta sunt. Dist. 4.* Et certè affirmaverim ego de quâque Rep., quæ legibus benè satis armata, *pr. Proœm. l. in eadem* vix dari posse, qui facilè in omninò deformia flagitia incidant, nisi quorundam vitiorum nimia homines ad sese trahendi vis esset. Sanè verò, cum aliqua vitia, quæ nobis imprimis insidiari videntur, eò (id quod nulli non dolendum) ingeniò sint, ut hominem, qui virtute fortissimè non est munitus, plusquam Sireneis suis blanditiis, difficulter licèt, tandem tamen flectentes prorsus devincere possint, sapius, bonas leges susq; deq; à permultis haberi, cernimus. Ex malis illis gregem ducere libido à compluribus creditur. Et rectissimè. Præsertim cum nihil citiùs illà ac potius nos fallere certum sit. Integras ista Resp., integras fefellit civitates, nedum singulos homines. Quænam causa fuit, de qua prope tota Benjamin tribus deleta? Nonne foedissima foedissimæ libidinis ista *cinadaporia? Judic. 20.* Alia exempla in Historicis omnibus maximè sunt *obvia. vi. qua in c. Gen. 6., Gen. 19., Num. 25.* Ista est, quæ Sardanapalum tristissimè concremavit. *Justin. l. 1. Vella. l. 1. Athene l. 12.* Ista est, quæ Tarquinium Superbum regnò exuens tam miserè necavit, *Liv. Dec. 1. l. 1. circa fin., quæ Heliogabalum, Lamprid.*

A 2

Lugta-

Lugdacum ac Megalum, Scotiae Duces, à semet captos, tantis tandem calamitatibus saevissime obruit, *Bod. de Rep. l. 4. e. 1. n. 374.* quae Cabadem carceri, *Peucer. Chron. l. 3. in vi. Anast.*, & Abufahitam ignominiosissimae morti tradidit. *Bod. l. c.* Id libidinis malum, praeter alia nobilissima, nefandi atque detestabilis istius criminis, quod RAPTUS nomine venit, parens est. Hoc verò delictum, uti satis est enorme, ita non omninò quoque infrequens. Notius est, quam ut ullius enarratione indigat, tristissimum illud Helenae exemplum. *Herod. in Euterp. Plut. in Camill., Halic. l. 2., Cic. Philipp. 2. vi. omnes de excid. Trojae. Dubia, quae prolixissime movet C. A. Ruper. ad c. 4. Synops. Hist. min. Besold., vide à p. m. 72. usque ad 87.* Quis nescit Sabinarum raptum? *Liv. l. c. non longè ab init.* Sed quid à prioribus inde seculis exempla arcessere opus? Certè ipsum hoc, quò vivimus, seculum benè multa prodit. Quem fugit iste Catharina von Orleans (brevitatis causa alia taceo) raptus longè infelicissimus? Quid? Ipsa in Saxoniae superioris ora non omninò pridem ejusmodi quid perpetratum, paucis quidem erit incognitum. Optimè propterea atque prudentissime sacratissimus Princeps noster Justinianus, ubi acerrimam de raptu *d. t. C. de rapt. virg. seu vid. nec non sanctimon.* legem tulit, regulam, quam *in l. 3. ff. de LL.* Jctus Pomponius ex Theophrasto exhibet, observavit. Non etiam frustra consequenter, qui de raptu disputant, laborant; quòd minus de materia obsoleta aut in foro nunquam tractanda. *arg. pr. l. 1. ff. de susp. tu.* Ea ergò, cum ita sint, & verò mihi in cathedra exercitii gratia de quaestione aliqua publicè differere animus, huncce praesentem meum de RAPTU discursum à nullò facile jugiter improbatum iri, non spero, sed penitus confido. Absolveretur autem ille praecipuis septem capitibus: Quorum

*In primo acturus sum de nomine Raptus.*

*In secundo de ejusdem causa efficiente.*

*In tertio de materia.*

*In quarto de forma.*

*In quinto de fine.*

*In sexto de definitione ipsa.*

*In septimo denique poenam dictaturus sum.*

Deus T. M., in cuius nomine ad omnes actus nostros progredimur, *l. in nomine Domin. 2. C. de de off. Praef. Prat.*, & cuius auxilium semper merito invocamus, *Nov. 85. pr. nobis benignissimè adsit.*

## CAPUT I.

### DE NOMINE RAPTUS.

**M**inimè fumos vendit, quomodo quidem scolorum nonnulli garriunt, qui prius nomen, quam rem ipsam exponere satagit. Praesertim cum nomina *ὄργανα* sint *διδασκαλικά* καὶ *Ἀκαδημαϊκά* τῆς ἀσίας: ceu ex Platon. *Cratyl. monstrat Dn. Tabor. in Jurispr. Method. par. 3. sect. 4. ad tb. 2. ubi allegat eam in rem Fabr. Decad. 83. error. pragm. pr. & ibi Bachov. error. 1. Curbach. c. 20. in Brocard. & Dn. Petr. Theodororic. Diss. de Regal. tb. 1. adde Glosf. in l. quoties. ff. de V. O.* Propterea tam suffeni nos nunquam sumus, qui cerebroforū quorundam perquam intempestivis dehortationibus, ac plusquam ficulneis rationibus facile absterri possimus, atque spretā tot ac tantorum Dd. longè laudatissimā, imò necessariā, disputandi methodō protinus ad ipsam ipsius rei, quæ nobis tractanda, inordinatam tractationem nosmet perducere sinamus. Principium itaque impræsentiarum esto à raptus nomine, quod in Etymologia, Homonymia, & in Synonymia spectaturi sumus. Etymologiam quod concernit, (quam ad exemplum Imper. nostri in §. 1. & 3. de jure pers., in pr. de libertin. l. 1. §. 5. l. qui. mo. jus pa. po. solv., in §. 2. de tu., in pr. l. de testam. ordin., pr. l. quib. mo. re contrab. oblig., pr. l. de inj. pr. l. de replic. in §. 1. l. de jud. publ. & §. 5. eod., atque Jcti in pr. l. 1. ff. de J. & J., l. 2. §. 2. ff. si cert. pet., l. 1. pr. ff. de inj., l. 3. §. 1. ff. de inj. rupt. irr., & l. 239. §. 7. ff. de V. S. ac passim, hōc locō nos rectè attendimus) nata est raptus vox ex rapio. 36. q. 1. c. raptus. à corrumpendo derivat, sed aliā vocis attentā significatione. Quemadmodum autem non raro in jure reperuntur verba, quorum & generalis & specialis significatio est, arg. l. filius 84. l. justa. 201., l. liberorum. ff. 220. ff. de V. S., l. uxorem, 41. §. concubina, 5. ff. de legat. 3., l. filium habeo. 14.

*beo. 14. ff. de SC. Maced., l. si filius. 6. C. eod., l. 1. & 2. ff. de adopt. adde t. t. I., l. pen. & ult. C. de legit. her. confer Alciat. de V. S. l. 1. num 7. ita quoque verbum raptus tam speciem quam genus denotare nulli, qui legit l. un. C. de rapt. virg., obscurum esse potest. Videlicet in genere raptus appellatur, quicumque (quacunque) à quocunque (à quâcunque) & quomodocunque rapiatur. Postmodum in specie de isto accipitur crimine, quando virgo, quando sponsa, quando vir &c. rapitur. In 36. q. 1. c. raptus. denotat Isidorus quemlibet coitum illicitum, item 27. q. 2. c. raptus. Sumitur etiam ap. Autores Latinos pro rapinâ, uti in Tac. Ann. 15. c. 38., 1. Hist. c. 46., de Germ. c. 35. & passim. Pro stuprô violento in Sen. controu. l. 2. 11., & l. 3. controu. 21, Leo. No. 35., Jodoc. Dambovd. in Pract. crim. c. 92. n. 5. & c. 95. n. 1. Bermond. de public. concubinar. rubr. de stupro. n. 2. & n. 18. sub fin. vers. sed secundum leges. Raptus synonymum est rapina, uti videre est in d. l. C. un. in pr. ibi: ubi inventi fuerint in ipsa rapina, & §. 2. pr. ac eod. §. vers. si enim. Terent. in Adelph. act. 3. sc. 3. raptionem pro raptu dicit. vi ad d. l. Donat. Idem facit ex Jctis modernis Anton. Matth. in Comment. de Crimin. ad L. Jul. de vi publ. c. 2. n. 2., n. 6., n. 7. & n. 20.*

## CAPUT II.

### DE CAUSA RAPTUS EFFICIENTE.

Cùm definire sit, juxta Philosophum, rem per causas suas cognoscere, meritò nos causas criminis nostri ipsi definitioni præmittimus. Ut ita nullus, cur Discursus nostri ordinem multis corripere velit, habeat. Causam efficientem communiter definiunt, à quâ res est. vid. Scheibl. in synops. tot. Philos. l. 2. c. 3. tb. 4. & l. 4. c. 1. n. 9., ac Dan. Otto. Jct. Dial. jur. l. 1. c. 4. pr. p. m. 39. Erunt itaque criminis nostri causa efficiens personæ delinquentes. Et quidem principalis ipse raptor, minùs principalis, quæ concausa aliàs vocatur, & coadjuvans, adjuvantes sunt & ministeria præstantes. Causa, dixi, raptus principalis efficiens raptor. Ità est. Carneades nã ipse hoc nunquam in dubium vocavit: puta, id criminis à maribus committi. Numne & fœmina raptus crimen perpetrat? Ajo. Profectò sudum à sole esse ineptius negarem, atque ipsi adeò

expc-



experientia, communi illi omnium magistræ, ineptissimè ob-  
loquerer, id si inficias ire minùs erubescerem. Sceleris pro-  
pterea fœminas, utut etiam nonnulli *Φιλογύναιοι* pro ipsarum  
causa pugnent, accuso. At enim, *objiciunt*, solùm quibus vis est  
rapiunt; quæ verò sexûs imbellis vis? Ergone mulieribus  
robur omne denegas? Incongruè. Certè, ut viri non semper  
fortes, ità nec fœminæ semper imbelles. *vid. Dn. Anton. Matth.*  
*d. c. 2. num. 2.* Dantur interdum viragines animum profus  
virilem muliebri in corpore gestantes, à quibus hujusmodi  
quid admitti posse, cur mirum? Interfici etiam non nequire  
virum à muliere, non minùs experientia, quàm juris Interpp.  
docent. Hinc Carolus V. Imp. *in Const. crim. artic 144.* viro ad-  
versùs fœminam à semet occisam moderaminis inculpatae tu-  
telæ exceptionem permittit in illis: **Wiewohl nicht leichtlich  
ein Weib einen Mann zu einer entschuldigten Nothwehre  
ursachen mag / so wäre doch nit unmöglich / daß ein grau-  
sam Weib einen weichen Mann zu einer Nothwehre drin-  
gen möchte / und sonderlich / so sie sorgliche / und er schlech-  
te Wehre hätte.** *vid. add. art. Matth. Steph. ex Tiraq. de mitig.*  
*pen. c. 9., Remò paraphr. b. artic., & Vigel. c. 7. reg. 1. except. 1.*  
*repl. 5.* Quidni igitur & rapi posse asseramus? Potest insuper  
fieri, ut per vim virilem ad se trahi aliquem curet furians mu-  
lier. Et præterea, ut perpauca respondeam, non continuò  
consequitur, illum illa rapuit, ergò per vim ac robur mulie-  
brium manuum abductus est. Etenim raptus quoque putatur,  
quando quis vel solò nocentissimæ persuasionis astu, ut sese  
rapi patiatur, movetur. Id quod infra monstrabimus. *vid. Vinn.*  
*ad S. Item lex Julia de vi publ. 8. J. de publ. jud. ex l. 3. S. si quis vo-*  
*lentem, s. de lib. hom. exhib., & l. 1. S. 3. de serv. corrup.* Quotus-  
quisq; verò est, quem mira ista (*hic recordor illius, qua aliquan-*  
*do paratam pecuniam, quam ex nuper demortui parentis hereditate*  
*acceperat, avaro suo proco deferendò eundem ita ad maturationem*  
*fuge fabrè invitabat*) & suprâ quam dici potest; audax potens-  
que mulieris linguæ, loquacissimæ istius, mellitissimæ, doctis-  
simæ eâ in re, ars præterire possit? Attestor sapientissimum  
hominum. *Proverb. c. 2. v. 16., c. 5. v. 3., & seqq. c. 6. v. 24., c. 7.*  
*v. 5. &*

v. 9. & seqq., præprimis v. 21. & 22. eod. c. 9. v. 13. & seqq. c. 22. v. 14. c. 23. v. 27. Tam verum ob ea est, à fœmininis viros & rapi posse & rapi, quàm quod vel verissimum, tam certum, quàm quod vel certissimum. Ut ità tam fœminam quàm marem raptus efficientem causam principalem rectissimè appellari, manifestissimum sit. Causa raptus moralis sunt, qui possunt, & non impediunt, sunt qui facinus celant &c. Jam ad minus principalem. Hòc locò minimè abs re esse, quod si ministros atque coadjuvantes criminis nostri clariùs depictos edero, mihi persuadeo. Opem itaque ferre criminisve reos esse habeas, omnes illos, qui consilium præbent, & ad scelus instigant, qui mandant, qui ratum nefas habent, qui comitantur raptorem, qui cum prædâ suâ rapientem vim non ignorantes suscipiunt, & quicumque etiam sint, quorum auxiliis utitur delinquens. Isto autem in numerò sæpissimè fœminas esse, nihil obstat, quo minus credamus. *Liquet ex d. l. un. C. de rapt. virg. §. 2.* Huc pertinent nutrices, quarum fabulis ac pravis persuasionibus sæpè parentum custodiæ deluduntur, ait Anton. Matth. l. c. n. 17. Ideo specialiter de istis caverat Constantinus, ut ob fallacissimos discursus, & detestabile ministerium, liqueate plumbò in os ingestò necarentur. *C. Tb. l. 1. de rapt. virg.* Huc pertinent pedisequæ. Huc pertinent omnes vetulæ, quarum longè blandissimam astutiam ac astutissimas blanditias sæpiuscule, quàm ipsum rapientis ferrum, plus posse, indubitatum est. Adde quaslibet, quæ, ut benè succedat raptio, juvant, de quibus hoc l. prolixius loqui & intempestivum, & inopportunum, & inutile est. Intricator mihi est illa quæstio, numne causa criminis fœminæ à virò raptæ mutus consensus nobis veniat dicendus? Distinguiam inter variam consensus acceptionem necesse multum est. Consensus enim non unus. Ut nihil nunc de consensu negligentæ, consilii, cooperationis, & autoritatis seu defensionis, uti Jctus tradit, *vid. Sim. Schard. Lex. in ead. voc. ex Spieg.* dividimus eundem in liberum & coactum, Quod ad hunc, eum omni causæ appellatione planè indignum pronunciamus. Ratio est facillima. Consensum coactum hîc loci appellamus, quòcunque etiam modò puella à rapturo, ut  
semet

semet rapti sinat, adducatur. Hoc saltem moneo, quod artibus istis flexa virginis dictus consensus non, ut rapiatur, sed ut commodius ac tutius, faciat. Sed quid de consensu libero, sive spontaneo? In certò casu causa sine qua non (quam quidam conditionem denominant, quia non est vera causa. *Eane litem Philosopho relinquimus. vid. Stahl. Metaph. Tab. 11. p. m. 68.*) dici potest. *Disf. videtur Dn. Matth. Berlich. par. 5. conclus. pract. 41. n. 5. p. m. 37.* Scilicet, quod si rapturus non aliter, quam si expressè consentiat foemina, & quidem nullis additis suis crebrioribus precibus, raptionem moliri velit. Causæ sine qua non duo sunt requisita. Alterum, ut sine eâ effectus non possit esse vel fieri, alterum, ut non sit vera causa ejus. Utrumque consensus noster exhibet. Tolle istum & non erit effectus, i. e. crimen. Non iste, sed raptor vera criminis causa. Unum adjicio. Superiùs quicquid de rapto affirmavimus, de raptrice quoque, (si sexui foeminino non absurdè imputatur) sit nobis cum Damhovd. *Pract. Crim. c. 95. n. 17.* ità loqui venia, affirmari volumus.

### CAPUT III.

#### DE RAPTUS MATERIA.

**M**ateriam, circa quam rapina nostra versatur, seu objectum, in quod videlicet crimen raptus committitur, cum ex proximè præcedenti capite benè facilè fluat, non malè immediatè subjicimus. Rapiuntur ergò, Virgo, desponsata, conjugata, vidua, sanctimonialis, libera, serva, libertina, volens, nolens, juvencula impubes, vir, juvenis masculus, puer, hermaphroditus, sponsus, cœlebs &c. *vid. d. l. un. C. de rapt. virg., & ad eand. Gl., junge Anton. Perez. confer Gilhausen arb. jud. crim. c. 2. t. 27. n. 4., Ludov. Carer. pract. crim. p. m. 201. Damhovd. ver. crim. prax. c. 95. n. 3., Althus. Dicaol. l. 1. c. 127. n. 1. & 2., Harpr. ad 9. Item lex Julia. 8. J. de ju. publ. & Hunn. ad Treutl. vol. 2. Disp. 32. tb 3. q 3.*

DESPONSATA) intellige propriam. De alius enim sponsa dubito an doctus dubitare possit. Jus civ. sequimur, & est text. omnibus obvius in *d. l. un. pr. ver. quib. connumeramus. vid.*

B

ade-

*ad eund. Salic. n. 5. junde Farinat. Pract. crim. par 4. t. 16. q. 145. n. 90. & Gomez. in l. 80. Tauri. n. 38.* Equidem non desunt, qui d. versic. adulterinum ac supposititium existiment. *vid. Anton. Matth. l. sepè d. n. 12.* Eò, quòd neque in Nov. 143., neque in Nov. Leo. 35., summam præsentis constitutionis enumerantibus, ulla sponsæ propriæ mentio fiat. Verùm enim verò, cum omnes libri ità legant, cum repetatur hic versic. *in Eclog. Basil. l. 60. t. 58. c. 1.*, cum reperiat quòque in Harmenopulo, *l. 6. t. 7.* jure nullus de ejusdem lectionis fide ambigere benè potest. Distingvunt alii, quibus lectio non suspecta, inter sponsalia. Sponsaliorum duæ sunt species: quædam de futuro, quædam de præsentis. *c. si inter virum 31. X. de sponsal.* Illa sunt tractatus de futuris imposterum nuptiis (ejusmodi olim omnia erant. *Wesemb. parat. ad t. ff. de spon. n. 3.*) ac veluti pactum & conventio futuri contractus. *l. si pœnam. de V. O. Gl. in l. bona. 7. de eo quod cer. lo.*, ut cum parentes de subsequituris liberorum nuptiis aliquid constituunt. *d. c. 31.* aut impuberes inter se contrahunt. *l. quesitum. 9. b. t. c. fin. de sponsal. impub., c. un. §. idem. eod. VI.* aut verba alioquin in futurum tempus, vel sub conditione, concipiuntur. *vid. Wesemb. l. c.* Hæc sunt, quando quis puellæ sine ullâ conditione purè ac simpliciter promittit conjugium. *Benst. intr. de sponsal. cap. 7. Didac. Covarruvias in tractat. de sponsal. cap. 1. num. 6. appellat hæc ipsam mutui conjugalis consensûs dationem.* *vid. Ang. & Fabr. in §. alien. pr. 7. de donat., & in l. tale. 40. de pactis.* Rationib. eorum, inter quos princeps est Hotom. *in Diss. de sponsal. 7.*, qui istam distinctionem impugnant, post alios respondet Hunn. *ad Treutl. vol. 2. Diss. 6. th. 1.* Postrema si spectes, raptum non committi, multi sentiunt. *post Decian. in tr. crim. tom. 2. l. 8. præfat. c. 13. n. 9., Gilhaus. l. c. Perez l. c. Ægid. Bosf. in tr. crim. t. de rapt. mul. n. 20. confer Decian. Resp. vol 3. Resp. 125. n. 11., Carer. l. c. n. 24. & Anton. Matth. d. l.* Ut ità sponsa de præsentis objectum raptus constitui juxta illos vix possit. Sponsam de futuro raptioni subjiciunt. Respondeo. Utraque secundùm Justinianum & plurimos Legistas raptus objectum est. Secus secundùm Pontificem Luc. III. & Canonistas *in c. cum causa. 6. X. de mptor.* Ibi enim, ne raptus

ptus vocetur, si sponsam sponsus abducatur, prorsus prohibetur. Effatum meum ita firmo : Aut raptus est, aut non est, quod si à sponsò sponsa de loco ad locum libidinis implendæ causa abducatur. Si non est, quid ergò ? Quò aliò crimen nomine appellabis ? In domum fortè deductionem ? Atqui omni hæc sine vi, per vi m ille fit. Licita illa ac honesta, illicitus, illegitimus, ac inhonestus hic est. Confundes ob id legitimum cum illegitimo, cum injusto justum. Absonum. Ut, quod res expostulat, dicam : ne ullum quidem, quò denotari possit ea raptio, in probatis terminum alium hætenus offendimus. Raptus ergò manet. Si verò raptus est, utique criminis objectum sponsam etiam propriam rectè dixi. Porrò ea, ex quibus crimen optimè cognoscitur, ab Imp. nostrò *in d. l. un. C. de rapt. virg.* scripta altiùs ego perpendens non possum, quin meâ in sententiâ sim pertinax. Vis adest. At enim ab omni vi atque injuriâ penitus abstinendum. *l. 1. §. 1. & 2. ff. quod vi aut clam.* vid. omninò *Magnif. Dn. Richterum, Collegii Juridici, quod hic est, Ordinarium, Patronem studiorum meorum Optimum, Maximum, Cent. Reg. Jurid. Reg. 2.* Abductio, maximum raptus requisitum, adest. Corruptio castitatis ac virginitatis indecentissima adest : quamvis non perpetuò. Homicidii periculum adest. *ex pr. sepius d. l.* Et ut vel maximè unò requisitò destituamur, à potioribus tamen crimen denominamus. Accedit, quòd ipse Imp. eorum objectioni, qui eò modò matrimonium cum raptâ saltem iniri persuadere satagunt, occurrere *in fin. §. 1. d. l.* videtur. Oportet, *inquit,* ut quicumque uxorem ducere voluerit &c. secundum nostras leges &c. Anne leges observat rapiens ? Anne antiquam & laudabilem consuetudinem ? Explo- dimus enim hîc morem, qui est in pago Servianorum Igodoa, de quò *Busbeq. ep. Turc. 1.* Barbarus est. Etiam Lacedæmonio- rum. Idem factitatum Sudinis, Curonensibus, Samogitis & Lithuanis testatur *Joan. Meletius in ep. quadam de morib. Borus- sorum ad Georgium Sabinum.* Prolixius, quæ suprâ scripsimus at- que enarratiùs, nisi promissum brevitatis studium nosmet de- hortaretur, persequeremur. *Pro nobis quodammodo stantem lau- damus Dn. Berlich. d. l.*

VOLENS )uberius id ac dilucidus appareat, in sequenti-  
bus faciam. Hic iterum Papa Sacratissimo Principi nostro  
contradicit *in c. 6. X. de mptor.* Sive volentibus sive nolentibus  
virginibus, sive aliis mulieribus, tale facinus fuerit perpetra-  
tum, Imp. habet *in §. 2. d. l. un.* Sanè si diligentius hanc de re  
Ictorum scripta evolveris, sine multâ quidem operâ invenies  
aliquos, qui ipsum adeò sapientissimum Legislatorem nostrum  
taxare parùm verentur. Ad raptum violentia pertinet, *oppo-  
nunt*, quæ verò volenti vis infertur? Raptus nunquam absq;  
læsa injuria fit: atqui volenti neque vis neque fit injuria. *l. 34.  
C. de trans act., l. 1. §. 5. de injur. & c. 27. de R. 7. in VI.* Pauca di-  
cam. Aut Imperatorem isti minùs capiunt, aut certè, id quod  
probabilius, non intelligere volunt. Alii, qui pro Principe  
nostro loqvuntur, distinguunt inter raptam, quæ est in pote-  
state alterius, ut patris, mariti, tutoris, curatoris, &c. (Tunc  
volente scæmina raptus fit, quia injuriæ prædicti obnoxii) &  
inter eam, quæ in nullius potestate. De hac denuo ita loqvun-  
tur: aut à proco pravis persuasionibus allecta est, aut nullò pa-  
cto commota. Ad priorem casum quod attinet, raptum con-  
cedunt; quod ad secundum, negant. Nulli enim, oggerunt,  
injuria infertur. Non patri ac aliis, quos supra paululùm enu-  
meravimus, quòd scæmina nullius subjecta est potestati. *Atten-  
de quantopere fallant.* Non puellæ ipsi, quòd voluit. Quasi illa  
juris regula (volenti non injuria fit) nullas prorsus pateretur  
exceptiones. Si quis injuriam sciat, minùs rectè verò intelli-  
gat, nã illum nunquam injuria lædere non potest. *vid. d. cent.  
reg. 98. Magnif. Dn. Richter. confer Carer. Pract. crim. p. m. 201.  
& 202.* Scæminam volentem, quam isti sistunt, utramq; verum  
raptus objectum nos putamus. Etenim tametsi tandem eam  
consensisse probet raptor, planè tamen velle, quæ pessimò cir-  
cumvenitur svasu, quæ promissis, donisve seducitur, haut intel-  
ligitur. *arg. l. 3. §. si quis volentem. ff. de hom. lib. exhib., l. 1. §. per-  
suadere. & §. seq. ff. de serv. corrupt., & l. pen. C. de aposta.* Mi-  
ferrimè itaque tunc & calvè omnimodè voluntatem puellæ de-  
monstrans excipis. Vi rapta est, quamvis ferrò minùs appul-  
sa. *vid. Jul. Clar. sententent. l. 5. §. raptus. n. 3. & Bocanos. in voc.  
raptor.*

raptor. p. m. 616. ubi dicit, comm. esse hanc op. adde Fabr. in suo C. t. 9. def. 1. n. 1. & Gilhaus. comment. de injur. ac famos. libell. §. 5. n. 118. cum Gothofr. ad sepè d. l. un. C. de rapt. virg. §. 2. Hic noto, Dn. Harprechtii in d. §. n. 10. I. de publ. jud. post Bossum l. c. n. 16. ac alios, quos filere mavolo. opinionem menti Priucipis nostri vix satis convenire. Eam scilicet voluntatem, quam hactenus explanavimus, in d. l. un. Imperatorem tetigisse, autumant. Satiùs est, adstruere, Justinianum in genere de volentibus mulieribus in d. l. §. locutum. Ut illa quoque, quæ liberrimam ostendit voluntatem, atque adeò ultrò raptorem sollicitavit, criminis nostri censetur objectum. Enim verò nihilominùs adulter, etiam si sese excuset, ultrò ventum est ad me, criminis reus judicatur. Quidni & ille, qui, ultrò rapta ad me venit abduci flagitans, facinus purgare satagit? Nonne rectè, ait Dn. Anson. Matth. l. c. n. 19., huic occurri ità poterit? Cur ausus? Cur in civitate pacata hostili more matrimoniù quærivisti? An morem gerere debuisti puellæ furenti? Raptus est, pergit modò laudatus, in vitis iis, sub quorum potestate & custodia est, mulierem abducere. Ut ipsi injuriam non feceris, quàm volenti fieri non posse dicis, fecisti tamen parentibus, fecisti consanguineis, NB. imò toti Reip.

JUVENCULA IMPUBES) Sed quomodo hæc potest esse raptus objectum, cum tamen in eadem criminis finis vix obtineri possit? Respondeo; etiam illæ personæ rectè hinc objecti locò ponuntur, in quibus saltem delinquens animum suum rapiendi manifestare non nequit. Et ità vult omninò Damhoyd. sepè d. c. 95. n. 14. & 15. Hinc eò in crimine ipsa voluntas puniendâ censetur à Damhoyd. l. c. post Fab. in §. item lex Julia. J. de publ. Gvidonem Papa. q. 555., & Cyn. in l. si quis non dicam rapere. C. de Episc. & Cler.

#### CAPUT IV. DE RAPTUS FORMA.

Raptus formam Dn. Berlich. p. 5. concl. 41. num. 7. hisce omnium elegantissimè docet. Raptum, inquit, sola violentia non inducit, sed præter violentiam ad raptus crimen pro

formâ essentiali requiritur etiam, ut mulier per vim rapta transducatur de locô ad locum. *text. expr. in c. illa lex. sub fin. vers. raptus admittitur cum puella. 36. q. 1. adi Clar. d. 5. num. 1. ubi all. Barb. conf. 71. l. 2., Paul. de Cast. consil. 262. l. 2., Alex. conf. 38. l. 2. Socin. Jun. conf. 50. l. 3. & Cravetta Cons. 18.* Raptus ergò non est, quod si quando fœminam aliquis per unum fortè aut plures etiam passus rapiat atque comprimat. Ita volunt comm. Interpp. *vid. Ludov. Carer. d. l. num. 1.* Stuprum violentum est. Hinc certissimum errare eos, (*sunt verba Hunn. ad vol. 2. Treutl. Diss. 32. tb. 3. q. 37.*) qui violentam mulieris corruptionem cum raptu confundunt, & raptum esse dicunt, etiamsi nulla abductio vel translatio de loco in locum interveniat. Licèt fortasse apud probatos autores ad stuprum rapi dicantur interdum mulieres, quibus per solam vim stuprum infertur, id tamen minùs propriè fieri, d. l. apertè docet Hunn. Et sanè omninò distincta crimina sunt violentum stuprum & raptio. Prolixissimè declarat Dn. Berlich. d. concl. Formam raptûs essentialem appellat Dn. Berlich. si mulier rapta de loco ad locum transducatur. Hic quàm maximè notandum est, ea verba (de loco ad locum) planè requirere, ut raptor prædam suam de domo patris, vel de quâcunque, in quâ degit, rapiens in alium omninò locum prorsus traducat. Testatur hoc Germanus, qui rapere exprimit per *entführen*. Et sicut abduxisse non dicitur, qui in eòdem locô hominem retinuit, *l. 3. & 4. C. ad L. Jul. de vi.* ità nec rapuisse mulierem dici potest, qui in loco statim, ubi offensa, deprehensam vi stupravit. *vid. Wesenbec, ad t. ff. de adult. in paratitl. num. 22.* Ideoque is, qui puellam, inventam cum bestiis in campis, cepit, & per aliquot saltem passus abduxit, ut eam (*verba sunt Clari d. l.*) carnaliter cognosceret, non tanquam raptor puniendus est. *Ità consuluit Cuman. conf. 96.* Neque is, qui puellam ex unâ camerâ ad aliam conducit, & in lectum projicit. *Bertrand. conf. 39. l. 6.* Hoc enim fit saltem commodioris usûs gratiâ. *vid. Magnif. Dn. Carpozov. Pract. Criminal. p. 1. q. 40. num. 26.* An etiam raptûs forma ibi videtur, quando volens abducitur? Omnino. Atqui suprâ non sola abductio, sed vis insuper for-

mæ



mæ loco posita. Rectè. Persuasio vis est. Quinimò licèt mi-  
nùs fœminæ, reip. tamen, consanguineis &c., quod centies  
jam iteravi, vis infertur. Ut eò certior de meâ sis assertione,  
evolve sis omnes istos, quos pro hâc stabiliendâ sententiâ  
longò ordine enumerat, autores Jacob. Menochius *de arbitr.*  
*judic. l. 2. cent. 3. casu. 291. num. 11. p. m. 417.* Quamvis autem  
ea quàm manifestissima, tamen Marsilio *in d. l. un. num. 19. C.*  
*de rapt. virg.* persuaderi nullò modò possunt, utpote qui hòc  
in casu vim, magnum illud raptus requisitum, abesse pertina-  
cissimè asseverat. Decianum, ut, persuasionem vi adæquari  
posse, minùs credat, movet text. *in l. 1. §. qui puero. 2. ff. de ex-*  
*træord. crim.* ubi à persuasionem vis separari videtur. Ecce, *in-*  
*quit Decia. in d. tr. crim. l. 8. c. 7. num. 7. versic. quanquam autem.*  
quòd specialis hîc est casus persuasionis & corruptionis; & ta-  
men diversis pœnis afficiuntur. Huic respondendum est,  
hunc textum contrarium potius probare. Inspiciamus eun-  
dem. Sicuti persuasor *in d. §. 2.*, si perfecit flagitium, id est,  
si stupravit virginem ipsam, punitur capite: Ita si persuasor  
in raptu abduxit mulierem, atque ità ipsum perfecit flagitium,  
puniri debet pœnâ *d. l. un. C. de mpt. virg.* & per consequens  
vim hîc quis non videt? Labitur ergò & Damhovd. *d. l. n. 9.*  
ubi scribit, vim solùm in raptu tum fieri, quando mulier ma-  
gnò clamore imploravit alicujus opem & auxilium, isque cla-  
mor ab aliquibus auditus fuerit; atque si contingat fortè pro-  
cul ab hominibus, in sylvis, foveis, majoribus agris, &c. ubi  
vox oppressæ non facilè percipi potest.

#### CAPUT V.

#### DE FINE RAPTUS.

**F**inis est id, cujus gratia aliquid fit. *vid. Aristot. 2. Phys. c. 3.*  
Is multifariam à Philosophis distinguitur. *Congestit illas dist.*  
*Dn. L. Joan. Adam Scherz. in suo Man. Philos. quadrip. in Distinct.*  
*p. m. 83. & seqq.* Nos aliis finis acceptionibus spretis omni-  
bus hòc locò intendimus finem qui dicitur ḡ. Et est ille,  
cujus adipiscendi gratia movetur, vel operatur agens. *vid. A-*  
*ristot. 2. de anima. c. 4.* Iste finis in rapientibus pro varietate  
intentionis ipsorum varius intelligitur. Quibusdam enim ra-  
ptam

ptam ducere, quibusdam solùm, ut fœdissimam suam satiare possint libidinem, aliquandiu cum eadem congregari, animus est. In genere tamen scopus, ad quem delinquentes collimant, expletio est spurcissimi affectus. Quodsi ergò de aliâ, quàm prædictâ, causâ quisquam raptus fuerit, raptum, voce in nostrò sensu acceptâ, commissum nunquam dixeris. Numne de istâ quoque raptione, quam copula carnalis minùs est secuta, verus raptus finis nobis affirmandus veniat, sæpè quæri video? Distinguo cum Philosopho inter finem intentionis & executionis. Hunc isti raptui denego, istum tribuo. Utrumque capitalem pœnam mereri *c. meum ult.* ostendet. Tam igitur ille, quàm hic raptus verus est finis. In hoc namque crimine, quod jam diximus, æque punitur conatus & voluntas ac ipsum factum. *Dambord d. c. 95. num. 15.* Sed enim, *opponunt*, Imp. Justinianus *in d. l. un. C. de rapt. virg.* requirit actum perfectum, & non attentatum saltem, sive intentionem. *vid. Carer. Pract. criminal. p. m. 203. num. 8. ubi pro istâ sententia plur. affert.* Maximè cum virginitas vel castitas corrupta restitui non possit. Hæc sunt Justiniani, ex quibus isti contrarium elicere conantur. Verùm non rectè docent. Verba ista de ipsâ quoque, quæ saltem sine stuprò rapta, intelligere poteris. Tantum abest, ut Imp. abductæ ac non stupratæ raptum crimen non esse, *in d. l. un.* significet, ut etiam abducentem vel in fuga deprehensum deleri atque puniri permittat. Sancimus per hanc generalem constitutionem, *ait Imp. paul. post. in d. l.* ut hi, qui huiusmodi crimen commiserint &c. ubi inventi fuerint in ipsâ rapinâ & adhuc flagranti crimine comprehensi, & à parentibus virginum &c. convicti interficiantur. Ad hæc Anton. Matth. *d. l. n. 6.* ita: quid est deprehendi in rapinâ, in flagranti crimine? Num in ipsò stuprò? Imò etiam in fuga, anteqvam pervenisset raptor cum prædâ, quò destinabat. Illis, *qui objiciunt*, frustraneum hîc fore virginitaris amissæ mentionem, si sola abductio ad pœnam sufficeret, vers. quæ multò magis. *d. l. un.* si non raptus nuptæ duplex crimen contineret, violentiæ & adulterii, ab Anton. Matth. *d. l.* respondetur: exaggerandi scele-

sceleris causa illud de adulterio & virginitate amissâ ab Imper. adjectum esse; non ut ostenderet, raptum non esse absque adulterio vel stupro, sed ut doceret, gravius habendum scelus, si præter vim etiam pudicitia jacturam raptæ lugent. Quod Leo Imp. in Nov. 35. hanc Justiniani de rapt. l. un. de stupro per vim admissio interpretatur, nobis non nocet. Nam nominat ille flagitium ideo, quod plerumque id raptionem sequatur, non omnino semper. Et si vel maximè brevissima illa in d. N. l. nostræ mentio in alium deflectere malit sensum, eam tamen nos pro authentica minimè habemus. Ut eò magis liqueat, quod finis nostri criminis tantum & libido sit, & conjugium appetere, exempla quædam alius raptionis in medium proferamus. Ità, qui ancillam, non ut turpissimæ libidinis ministra sit, rapit, non raptor, sed plagiarius est. *l. 1. C. de plagiar.* Plagium & nequam raptum, nostrò sensu dictum, qui puerum, ut servus sit, (quod frequentissimum est apud milites) non ut nefariæ isti prurigini inserviat, *vid. l. 6. C. d. t.*, rapit, perpetrat. *vid. l. 7. C. eod.*, quæ lex quàm accuratè in Leonis Nov. 66. tantopere perstringitur, penes alios iudicium esto. Distincta enim sunt plagii ac raptionis apud Ictos crimina. Plagium est vel liberi hominis, vel servi alieni, abductio, suppressio, venundatio, suppositio dolosa &c. *l. 3. §. 6. §. 2. de L. Flav. de plag. vid. Harpr. & Giph. ad §. 10. J. de publ. jud. confer l. 2. C. ubi de crim. agi oportet.*

#### CAPUT VI.

##### DE RAPTUS DEFINITIONE.

Quemadmodum formarum cognitio perdifficilis est, quò de conqueritur Scalig. ità omnis in jure civili definitio periculosa dicitur Javoleno Icto *in l. omnis definitio 202. ff. de R. J. jun. l. 1. fin. eod. vid. Dan. Otto. Dial. jud. l. 1. c. 27. reg. 4. p. m. 129.* Quæ lex, etiamsi eò in locò de regulâ juris & minùs de accuratissimâ Philosoph. definitione (quemadmodum vix benè cum Pinello *c. 3. num. 28 par. 1. ad rubr. de rescind. vendit. Dn. Otto l. c. concedit*) loqui videatur; id

C

quod

quod vel solus titulus, sub quò eadem legitur, (ut nihil de  
aliis legibus, l. 22. §. 1. quand. di. leg. ced., l. 32. de usur., l. 10.  
de aur. & arg. leg., l. 3. §. 1. de hered. inst., in quibus pro regula  
definitio sumitur) nobis suadet: tamen idem de verâ quo-  
que definitione affirmari sæpissime in jure nostro posse,  
quòtusquisque est vel mediocriter in eò versatus, qui ne-  
sciat? Hinc non opus esse Jctis definitione Logicâ, ait  
Duar. in c. 2. de probat. qui tamen ipse in definitione judicii  
explicanda tantum non integrum consumpsit annum, uti  
testatur de sese ad t. de judic. Id optimum erit, quantum fie-  
ri potest, perpetuò de Logicâ & concinnâ definitione mul-  
tùm laborare. Sunt enim in jure nostro, quæ ità defini-  
possunt, longè plurima. Quæ saltem describere nullus,  
nisi qui veram definiendi artem turpiùs ignoraverit, non  
verebitur. Inter ea verò, cùm & nostrum crimen sit, id  
ut secundùm regulas Logicas hîc definiamus operam, quan-  
tum poterimus, dabimus.

Raptus est crimen public., quod commit-  
titur de loco ad locum vi abducendo  
honestam personam libidinis vel matri-  
monii contrahendi causa.

CRIMEN PUBL.) Hoc genus habet Magnif. Dn.  
Struv. in Syntagm. jur. civil. Exerc. 49. thes. 41. Equidem  
Dn. Christophor. Hain à Edenthal in Idea jur. un. civil. l. 3.  
c. 14. [ubi quoque, non intelligimus quâ ex ratione, requi-  
rit, ut ne invita abducatur fœmina] crimen hoc mavult,  
quorundam autoritate, quos ibidem refert, motus, inter  
privata recensere. Sed hîc locò sine luculentissimâ ra-  
tione à Magnif. Dn. Præside, piè nobis æternùm Devene-  
randò Dn. Præceptore, vel latum digitum divertere, no-  
bis ipsi magno vitio vertimus. Præsertim cùm, ut crimen  
istud publicum vocemus, ipsa nos jubeat perspicua deli-  
ctorum distinctio. Videbimus. Variè delicta distingvun-  
tur,

tur, ait Dn. Tabor, summus ille ex omnium bonorum confessione,  
ac maximè consummatus Jctus, in Jurispr. Meth. par. 4. sect. 1.  
ad th. 12., veluti in Ecclesiastica & secularia. Hæc in no-  
minata & innominata. Nominata in privata, quæ pro-  
priè delicta dicuntur, & publica, quæ speciali nomine cri-  
mina vocantur. confer Sutholt. Dissert. 16. ab init. Quamvis  
id perpetuum non sit. vid. l. 1. § 16. §. 1. ff. de pœn., l. aliud  
fraus. in fin. ff. de V. S., l. 1. C. si adv. del., l. 7. 14. § 19. C. de  
pœn., l. 2. §. fin. de remil., l. ult. de priv. del. pr. §. de Oblig. qua  
ex del. l. 2. de publ. jud. l. 9. §. 2. ff. de minor. l. un. C. de emen.  
prop. l. 7. (ad L. Jul. de adult. l. 9. C. ad L. Jul. de vi publ. § l.  
quoniam. 2. C. de lege Fab. plagiar. In criminibus publ. di-  
judicandis à privatis non simpliciter, sentiente Petrô Theodo-  
ricô in colleg. crim. Diss. 1. th. 9., recurrendum est ad appel-  
tionem vocabuli, nec ad inscriptionem titulorum, nec ad  
publ. accusationem, nec ad pœnam, neque denique obje-  
cta & personæ, in quas delinquimus, respiciendæ: sed vi-  
dendum est, an etiam aliquâ lege speciali delictum in nu-  
merum public. judiciorum sit rejectum. Hinc notanter  
Imp. Justinianus §. 1. §. de publ. jud. ubi publica judicia de-  
finit, vocem *plerumque* addit, quòd plerumque cuivis ex  
populo exsecutio eorum detur; ut innuat, aliqua etiam  
esse judicia publ., quorû exsecutio non datur cuivis ex po-  
pulo. Ità accusatio adulterii ad certas personas restricta  
est, l. *quamvis*. C. ad L. Jul. de adult. irà quoque accusatio  
partûs suppositi. l. *lege Corn.* §. 1. de fals. Cujac. l. 8. observ. 33.  
§ Arum. Exerc. Just. Diss. 17. exerc. 2. Propterea si non cui-  
vis fortè ex populô nostri criminis accusationem in ll. in-  
venis, ne de eâ causa privatum appelles, moneo. Non  
attendendæ sunt simpliciter personæ, dicit Theodor. d. l.  
ubi ad d. th. lit. E. scribit, quòd rectè Emanuel Soarez. in anno-  
tat. ad Gomez. var. resol. par. 3. s. 1. communem Dd. opinionem,  
non esse crimen publ. quod minùs in personam publ. commissum,  
tanquam legibus haut benè convenientem, repudiet. Licèt itaq;  
præcipuè in privatam plerumq; personam peccet raptor,  
C 2 non

non statim tamen exinde sequitur, quòd ipsum raptionis crimen privatum sit. Hoc etiam atque etiam requiritur in crimine publ., ut in speciali aliquâ lege iudicium ejus publicum exstet. *l. 1. de publ. jud.* Hæc sanè nobis minimè deest. *vid. l. 5. §. 2. ff. ad L. Jul. de vi publ., l. un. C. de rapt. virg. & §. 8. J. de jud. publ.* Ea ergò ei, qui altiùs ponderat, raptum publ. esse crimen, non possunt non suadere. *vid. Cujac. in paratit. ad d. l. un. C. de rapt. virg. Pac. ad d. §. 8. confer Treutl. & ad eund. Dn. Bachov. vol. 2. Diss. 32. tb. 3.* Crimen sæpiùs quàm delictum raptionem nominamus, quòd majoris perspicuitatis causa JCrī haftenus ità locuti sunt. *vid. Schard. in voc. delictum.* Ceterum definitionem nostram genere proximò & differentiâ verâ, quâ à plagio raptum distinximus, constare, quilibet ipse facillè ex nostris præmissis cognoscere poterit.

## CAPUT VII.

### DE RAPTUS POENA.

**P**œnam in hõc capite discursûs nostri ult. personis ex c. 2. & 3. huc translatis, tam raptionem committentibus opem ferenti, quàm ipsis rapientibus, dictaturi sumus. Ob meliorem ordinem hoc c. in theses dividimus. Regulæ locò generalis, quæcunque de masculò nos affirmaverimus, de fœmina quoque ut subintelligas, hîc præfamur. Ceterùm positiones nostræ omnes jus civ. comm. sequentur, expos. verò Canon. & Sax.

#### POSITIO I.

Fœmina virum libidinis causa rapiens mortis pœnæ meritò subjicitur. *Sicut statuam. mox cor l. un. C. de rapt. virg. ubi licet hæc pœna non explicitè, implicitè tamen benè notatur.*

#### EXPOSITIO.

Theſi huic nostræ adversantur quàmplurimi Dd.,  
*uti*

uti Guliel. Caneus, Cynus, & Salic. in d. l. un. C. de rapt. virg.,  
Grilland. de divers. crim. l. 3. q. 10. n. 23., Hippol. Bonacoff. in tr.  
comm. op. crim. in vo. raptus. p. m. 615. qui communiter Dd. ita  
tenere asserunt, Praet. Conrad. fol. 370. n. 3. Praet. Jodoc. c. 95. n.  
17., Jul. Ciar. sentent. l. s. §. raptus. n. 6., Decia. d. l. 8. c. 7. n.  
27., Petre. thes. controu. concl. crim. concl. 104. Menoch. de ar-  
bitr. jud. l. 2. cap. 291. num. 31., Perez. in dict. l. un. num. 12.  
Harpprecht. in §. 8. J. de jud. publ. num. 13. Hunnius ad vol. 1.  
Disp. 2. Treutl. q. 4. p. m. 222. & seq. & c. & c. Pro eadem lo-  
quuntur Accurs. in d. l. un., Angel. in eand. . Bald. in l. raptors.  
n. 7. C. de Episc. & Cler., Marsil. in d. l. un. n. 223. ubi dicit  
hanc opinionem esse comm. Anton. Gomez. in comment. ad leges  
Tauri l. 80. n. 37., quos refert Clar. l. c., Papo. l. 23. t. 6. arresto.  
3., ubi ait in Gallia ita seruari, Gaedd. ad l. 1. ff. de V. S., Treutl.  
vol. 1. Disp. 2. tb. 1. lit. C., Anton. Matth. l. c. sepissime n. 2. p.  
m. 490. & c. In c. secundo supra abundè, quòd fœmina  
quoque raptum perpetret, explanavimus, ubi simul ali-  
quot, quæ contrarium suadere visa, dubia, quantum li-  
cuit, solvimus. Jam etiam, quæ capitalis raptus à muliere  
commissi pœnæ objiciuntur dubiis obviam eamus. Ver-  
bò masculini generis, opponunt, in pœnalibus ac odiosis fœ-  
minæ non continentur: ergò haut benè Imperatoris hœc  
in casu leges raptoribus mortis supplicium imponentes ad  
sexum fœmineum trahentur. Respondeo: hoc prorsus  
non concedendum esse, & vix perfunctoriè illos, qui sic  
docent, deficere, graviùs tamen adhuc errare cum Cujac.  
l. 6. observ. 21. Scipionem Gentil. l. 1. parerg. 3., qui adeò,  
fœminam hominem esse, planè negitant; quos dudum post  
aliquot juris textus atque Interpp. egregiè refellit Treutl.  
d. Disp. 2. ubi in l. si quis. 38. §. qui abortionis. ff. de pœn., quæ  
istos ad errorem adduxit, mulierem & hominem sibi invicem op-  
poni non adversativè, sed relativè, scribit. confer. ad d. Disp.  
Hunn. q. 5. p. m. 123. In jure non fundatam esse istam asser-  
tionem, clarissimè probat Jctus Julianus in l. 62. de legat.  
3. semper, ait, sexus masc. fœmininum continet.  
Quod si ergò semper, continebit ne quoque in pœnalibus?

Ita foeminae continentur in edicto de albo corrupto, l. 7. §. 1. ff. de jurisd. ita in lege Aquilia. l. 2. & l. 9. ff. ad L. Aquil., ita in SCto Silanio, l. 1. §. juxta & §. impubes. ff. de SC. Silan. & plerisque aliis. Adde l. 1. & l. 195. ff. de V.S. in quibus generaliter ac indistinctè masculinus sexus foemineum continet. Junge l. 1. §. 3. de ventr. in poss. mit. Et Dd. communiter mulieri nihil prerogativæ ultra masculum, nisi quatenus in jure expressum reperitur, largiuntur in Treutl. l. c. post Gl. in d. l. un. C. de rapt. virg. Bald. in l. ult. de ju. & fact. ign., Imol., Castr., Alex. in l. si constante. 24. §. fin. ff. solu. matr. Sunt qui adversus nostrum responsum excipientes instant: legitur in l. 1. §. accusationem vers. atquin Papinianus si. ad SC. Turpill. & in l. 4. ead., quod mulier pro ratione substratâ in pœnam, in quam masculus vel maximè, non incidat. Atqui, inquiunt, SCtum illud verbô Si quis in genere erat conceptum. Istitis respondet ex Gæddeo Hunnius. Constat ex l. 5. C. ad SC. Turpill., quod foemina regulariter in pœnam SCti incidat, si desistat ab accusatione, non petitâ abolitione; verùm mulieribus duplici solùm ex causa succurritur (1.) si temeritate consilii vel errore lapsæ tale crimen, quod propter sexûs rationem accusate nequiverunt, intentaverint, ac tandem sine abolitione errore deprehensô litem omiserint. (2.) si quidem accusare potuerint; sed statim pœnitentiâ ductæ destiterint, adeoque inconsultam, judicii levitatem incontinenti purgarint. Ego puto, opponentium lineas commodissimè generali illâ, quam superius paululùm tulimus, exceptione deleri posse. Nimir. in LL. in contrarium adductis singulariter ac in specie mulieribus indulgeri. Sanè verò casus iste specialis minimè statim, ut in omnibus prorsus nefariæ mulieri parcatur, facit. Alii objiciunt; cùm odia restringi debeant, favores verò ampliari. c. odia. 15. de R. I. in VI., & pœnales constitutiones sint odiosæ, l. fin. C. de probat., l. 18. C. de transact., ob id in pœnalibus masculinum foemininum includere haut intelligendum. Ad ista bifariam respondeo. Primò ajo, pœnas jure non dici posse odiosas, & si fortè respectu delinquentium.



tium. Favorabiles potiùs dixeris justas pœnas, utpote  
quæ bonum publicum atque ipsam totius Reip. salutem,  
concernunt. Namque Reipublicæ interest, ut ne delicta  
maneant impunita. Purgari debet Resp. malis hominibus.  
*arg. l. si operis. C. de pœn. l. ita vulneratus. ff. ad L. Aquil., l. si  
longius. §. 1. de jud. l. Stichum. §. 1. ff. de solu., c. ut fama. X.  
de sentent. excom., & c. licet Heli. X. de Simon.* Secundò di-  
co, ridiculum videri, si eòdem delictò polluant sese mas &  
fœmina, quàm hæc, ille ut graviùs puniatur, æquitati con-  
sentaneum pronunciare: quasi mulierum non tanta, quan-  
ta virorum, malitia. Sed hîc replicare quosdam video:  
quia impuberes propter ingenii, quâ laborant, imbecillita-  
tem mitiùs puniendi sunt, *per l. 108. de R. J., & verò mulie-  
res non majori præditæ creduntur judiciò, arg. pr. l. qui.  
al. lic. vel non.,* sequitur etiam quòd lex in genere masculi-  
nò loquens rigorosiùs non debeat ad sexum fœmininum  
extendi. Ut nihil nunc de conciliatione *d. l. 108. ff. de R. J.  
l. 6. pr. ff. ad l. Jul. pecul., l. 38. §. 5. ff. ad L. Jul. de adul., l. 1.  
§. in fin. ff. ad SC. Turpill., l. 3. C. de his qui sibi adscr. in test. &  
§. 18. I. de obl. quæ ex del., cum l. 7. C. de pœnis, cum l. 1. C. si  
adv. del., cum l. 2. & 7. eod., cum l. 38. §. 4. ff. ad L. Jul. de a-  
dul. cum, l. 20. & l. 37. §. 1. ff. de minor., atq; cum l. 9. §. 2. ff.  
de integr. rest. (eam enim litem hæc in Disputatione nostram  
facere planè nolumus): non tam expeditam, quàm quidem  
Dnus Hunnius, cujus altum eâ in re silentium non nemo  
demiratur, tradit, penitiùs legem intuens responsionem ef-  
se confitebitur. Ego respondeo. Ea comparatio impu-  
beris ac mulieris nullum ferè, quod ad delicta, in omni jure  
fundamentum habet. Longum nimis esset, singula, quæ  
ad confutationem comparationis istius facere possent, ope-  
rosiùs enarrare. Sufficit mihi, quòd, quàm mulierum astu-  
tia in delinquendi arte ipsos viros, nedum impuberes, sane-  
quam multis nominibus benè facile superet, cæcos etiam  
non fugiat. *Weiber List über alle List.* Quod sitamen  
quis ab impubere masculino ad impuberem fœminam argu-  
mentari vellet, citiùs, credo, id posset tolerari. Illis, qui  
*l. 6. pr.**

*l. 6. pr. ff. ad l. Jul. pecul. , l. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de adul. , & l. 5. C. ad L. Jul. Maj. , alienum quodammodo à positione nostra sensum sapientes, nobis exhibere satagunt, regula, quam ante has prope octodecim lineas dedimus, generalis illa satisfacere poterit. Parcimus scilicet foeminae, quotiescunque jus expressè jusserit. Sed enim in raptu specialiter tale quid fieri, nullibi deprehendimus, E. non potest non immota thesis nostra quiescere. Supersunt alii, qui sibi persuadent, vel ob id solum, quòd, virum ad satisfacere libidini à muliere posse adigi, absurdum videatur, Justiniani constitutionem in foeminis delinquentibus cessare. Ut ne in illis redarguendis nos nimium multi simus, Antonii Matth. succincta illa d. l. n. 2. , statim subjungemus. Quod objicitur, *inquit*, ut maxime mulier virum rapiat, pudicitiam tamen eidem eripere non posse, id ejusmodi est, ut & falsum sit, & ad rem parum pertineat. Ad rem non pertinet, quoniam ad raptum sufficit violenta abductio, etiam stuprò non secutò. Falsum autem, quoniam nihil vetat, mulierem eadem vi, quã rapuit, etiam cogere virum ad Venerem. De cetero, ne quis arbitrari possit, nos omni evidente probatione destitui, quando ex saepe d. l. un. C. de rapt. virg. capitalem poenam reæ dictamus, argumentum à minori ad majus (quod fortissimum est *juxta Everb. loc. leg. 24. quem vide sis. confer Gail. l. 2. obs. 78. n. 4.*) ex verbis Imp. ita elicio: quod si foeminam, quæ saltem rapienti opem tulit, capite plectendam judicat Justinianus, quanto, quæso, magis eam, quæ ipsa adeò rapuit? Prius offendere potes in illis pr. §. 2. d. l. un. vel quicumque opem eis tulerint, sive masculi, sive foeminae sint &c. *Diff. Dn. Bachov. ad vol. 2. Disp. 32. tb. 3. , sed exponi potest.**

#### POSITIO 2.

Sponsus sponsam rapiens suam, & hæc suum abducens, ultimo obnoxii sunt supplicio. *secundum jus civ. comm; minime secundum consuetudinem ac canones.*

EXI O.

## EXPOSITIO.

Sic vult Treutl. *ad d. Disp. 2. lit. C. post Accurf. & Bd. in d. l. un. C. de rapt. virg. atq; Gædd. ad l. 1. de V. S. n. 53.* Quibus connumeramus etiam eum, qui saltem sponsam suam &c. ait Imp. in pr. ibi, ubi mortem raptoribus minitatur. Intelligis itaque, quâ poenâ Imp. noster sponsum raptionis reum persequatur. Eandem verò vi illorum, quæ præced. in pos. scripsimus, ad sponsam quoque rectè derivabis. Hic vix dici potest, quantopere & quàm audacter nonnulli sacratissimi Legislatoris nostri dictam cavillentur constitutionem. Vix sanè, *secundum maximum hujus ætatis Jctum*, qui legantur, digni. Dura, dura nimis, scriptitant, lex. Alii, qui mitiùs aliquantò cum Principe nostrò agere volunt, spurium istum versiculum ac subditium perhibent. Alii, ut, juxta suam opinionem, bonum Justinianum juvent, inter sponsalia mirum quàm anxie multis distingvunt. Neutra placet defensio. Et dictus versiculus non adulterinus, & poena utrique sponsioni (duplicem enim præcipuè faciunt, ut vidimus supra in, c. 3.) maximè conveniens est. Tutus mihi ità atque securus ab istis istorum censorum, qui, si Lycambeus ac Theoninus minùs iniquus est, satis æqui sunt, impiissimis criminationibus sacratissimus Princeps noster reddi videtur; quod si, eundem, communem illam Legislatorum regulam, Crescentibus delictis crescit & poena, in ferendò eam de raptione legem quàm sapientissimè attendisse, dixerimus. *arg. ipse Imp. circ. fin. d. l. un.* Nonnunquam evenit, *Claudius Saturninus inquit in §. ult. l. 6. ff. de pæn.* ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimiùm multis personis grassantibus exemplò opus est. Non semper, quia peccatum est, sed ne peccetur, poena irrogatur. *arg. Sen. de ira. l. 2. c. 31.* Testatur ultimùm furti supplicium. Quid ergò est, cur sacratissimam hanc atque æquissimam Imp. nostri legem inconsultò suggillare minùs verearis? Cur injustitiæ accusare parùm dubites? Nullam delictum inter ac poenam proportionem observat, inquis? Observat sanè, nisi vehementissimè fallor. Animum tu modò adverte non ad unam solùm criminis circumstantiam; cogita, quomodo & atrocitas delicti, & frequentia, & violatio pacis publ. &c. tantam tandem urgeant severitatem, & ipse confitebere. Hactenus au-

D

tem

tem de jure civ. Jam Jus Canonicum quoque audiamus. Hoc omnem criminis poenam capitalem altè ignorat, & potiùs matrimonii consummationem benignè permittit. *c. cum causa. 6. X. de raptor. & c. Lex illa. 27. q. 2. cum Gl. junde c. fin. X. de jura. cal.* Adeò quidem, ut istum raptum licitum appellent Canonistarum quidam. *vi. Ægid. Bos. tr. crim. t. de rapt. mul. n. 20. p. m. 184. ex Bald. & Dd. in d. l. un. & l. raptores. C. de Episc. & Cler. adde Lancelot. 1. I. C. de adul. & al. conjunct. ill. vi. Decia. vol. 3. Resp. 205. n. 11. p. m. 271.* Et hoc hodie præ Civili eò in casu observatur. Est enim res ad matrimonium pertinens. Matrimonialia verò primum inter ea, in quibus Pontif. jus civil. limitat, locum obtinent: quemadmodum ex Magnifici Dn. Præsidis *Exerc. ad ff. 2. th. 39. Reink. de R. S. & E. l. 2. class. 2. c. 7. Rittersbus. tr. de differ. jur. civ. & Canon. in proleg. p. 22. & Georg. Schulzens prol. synopsis. I. probat Dn. Hain. à Löwenthal d. l. l. i. c. 3.* ubi etiam reliqua, in quibus Canones prævalent, adjicit; ut sunt piæ causæ, bona Ecclesiastica, Decimæ, & similia; pacta, stipulationes, emphytheusis, usuræ & antichresis, testamenta eorumque adjuncta, fideicommissa & detractio quartarum, præscriptiones, juramenta, atque ea quæ ad judicarium processum pertinent. *NB. Bonacossa l. c. ait, bona raptoris nihilominus de jure etiam Canon. confiscari, etiamsi cum rapta matrimonium postmodum contraxerit. Adde Carer. Pract. crim. p. m. 204. n. 22. ubi ait, præterea raptorem infamem esse, nisi à principe restituatur.* Ex consuetudine totæ res, qui eam secundum diversas circumstantias considerat, judicis arbitrio permittitur.

### POSITIO. 3.

Sponsam aliùs libidinis causa rapiens capite plectendus est. *arg. Justin. in pr. d. l. un. C. de rapt. virg. Idem quoq. de foeminâ alius sponsum abducente verum.*

### EXPOSITIO.

Quæ suprâ scripsi, ad sponsam propriam (*ad sponsum proprium*) pertinent. Hæc thesis illum, qui non suam, sed Titii, Sempronii, vel alius cujuslibet, sponsam rapit, tangit: Loquar primò locò de poenâ aliùs sponsam rapientis, quæ juri civili consenta-

Tentanea; secundò verò locò, de eà, quæ Saxonico foro. Sponsam autem de futurò in illis sisto. Namque de sponsa, quam de præsentì vocant, pauci ambigent, id verè affirmari, quod th. nostra. Thesin meam duplici ratione corroboro. Prima est, quòd, quia suprà evici, istum adeò, qui propriam abduxit sponsam, à capitali pœna non liberari, longè probabiliùs est, tantà istum, qui non suam rapit, pœnâ teneri. Secundò, id quod maximum est, adulterium committi demonstrare possum. Atqui adulterium ulrimò supplicio vindicatur. *S. Item lex Julia. 4. I. de publ. jud. l. 9. & l. 30. C. b. t. Tiraquell. de leg. connub. l. 13. gloss. 1. Hotom. qq. Illustr. 21. Id probant sacræ paginæ. Genes. 26, 10. Deut. 22, 22. Exod. 12, 10. & c. 20. Levit. 20, 10. 2. Sam. 2, 7. Num. 25, 7. Ezech. 10. Dan. 13. & Judic. 19. Promittimus adulterii reos, qui sponsam etiam de futurò saltem libidinis causa rapiunt, effecturos. Et certissimum. Pro nobis militat præprimis Hunn. ad Treutl. vol. 2. Diss. 6. th. 1. lit. C. cum illis, quos ibi alleg. Cujac. 6. observ. 36. Heig. 9. 28. par. 2. Sarmient. l. 1. select. interp. c. 5. Brissou. lib. sing. ad l. Jul. de adul. fol. 101. & Harppr. ad §. 4. n. 7. I. de jud. publ. Imò est expressa lex 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de adul. ex quâ plusquam manifestè, quòd adulterium sponsus in sponsa de futuro vindicare possit, colligitur. Divortium à nostrâ sententiâ qui faciunt (sunt imprimis Covarruv. in epitom. in quart. lib. Decretal. sive de sponsal. par. 1. c. 1. n. 8. & Jul. Clar. l. 5. sentent. §. adulterium. n. 8.) interpretantur d. l. sic: in illâ non vindicari coitum istum tanquam adulterium, sed tanquam atrocè injuriam sponso illatam, juxta l. 15. §. sponsum quoq. ff. de injur. sed optimè Dn. Harpprecht. l. d. n. 8. regerit, interpretationem eam esse haut satis appositam. Nam in 2. §. d. l. 13. ff. ad l. Jul. de adul. immediatè d. §. ex quo adulterium probavimus, præcedente Ulpianus ait: in ea quoque uxore, quæ vulgaris, maritum adulterium vindicare, & in continenti subjungit, hoc idem in sponsa vindicari. Et sic apertè, pergit Dn. Harppr. l. c. loquitur de adulterio, quod vult vindicari in sponsa de futuro; quia, si sponsa esset de præsentì, non diceretur spes matrimonii, sed verum matrimonium. l. 30. ff. de R. I. Facit pro nobis insuper l. 7. C. ad L. Jul. de adult. & l. 11. §. quarebatur. ff. eod. ubi jure mariti accusare, quàm adulterii incusare, nihil aliud denotat. Nobis non*

fficat l. 6. ff. ad L. Jul. de adul. ubi in nuptiam propriè adulterium committi traditur. Sponsa namque in adulterio, juxta Dd. nuptiæ æquiparatur. vi. d. §. divi. l. 13. eod. Minus obest nostræ thesi § 7. l. 11. eod. ubi videtur non in crimen adulterii ea ruere, quæ à patre alii, quam sponso, tradita. Etenim excusat filiam à pœnâ ordinariâ parentis jussus. Inviçtum itaque permanet nostrum assertum. Et consequenter capitis pœnam, si jus civil. consulueris, sponsam alius etiam de futuro saltem rapiens vix effugiet. Jam vindicta criminis, quâ delictum ulcisci videri possent nostrarum curiarum judices, sequitur. Quamvis autem nihil speciale ego deprehendam, & casum vix in nostrorum ullò ad nostrum forum accommodatum videam, puto tamen desiderio meo, quod si generalia huc pertinentia decenti operâ excussero, memet satisfactorum. In genere itaque regulam, præ jure civil. *Canonicum in nostris terris, quod ad matrimonialia, decidere*, hîc præmitto. Nunc ad casum nostrum in specie, in quò duo nobis præcipue probè ponderanda veniunt. Attende. Et raptorem & temerorem alienarum nuptiarum thesi nostra ob oculos nobis ponit, atque ratione versâ & raptricem & adulteram. Hinc duo diversa delicta sunt punienda. Tum raptus, tum maximè adulterium à sponsa ac in eandem commissum. Ad illud quod attinet, suprâ jam, quantum per institutum nostrum licuit, satis de pœna diximus. Ad alterum ob id his in lineis oculos directuri sumus. Brevissimis mentem meam exprimam. Quoniam per jus Canon. raptæ licet raptò nubere atque capitalis tunc omnis remittitur pœna; & quoniam in der *Eheordnung* de Ann. 1624. punct. 4. §. *Würde auch*. & in der *Churfürstl. Sächsischen Kirchen/ Ordnung* sub tit. *Von der Straffe der Unzucht und des Ehebruches*. §. *Würde aber*. ibi: *Würde aber auch jemand eines andern Braut/ ehe denn der Bräutigam beygelegen/ wissentlich beschlafen/ so sollen beyde Personen zur Stanpen geschlagen/ und des Landes ewig verwiesen werden/ &c.* Confer *Magnif. Dn. Carpzov. Pract. crim. par. 2. q. 56. n. 43* ubi refert, quotidie *Scabios* ità pronunciaffe. pœna fustigationis ac perpetuæ relegationis violatoribus sponsaliorum expressè determinata est; solâ hâc pœnâ dubiò procul hoc crimen vindicandum.



dum. Idem obtinebit in eò casu, quando sponsa, quæ duobus desponsata ab altero istorum abducitur. Nimirum, quod si fortè is, qui posteriora celebravit sponsalia, dum lis probationis adhuc durat priorum sponsaliorum, quæ non clandestina fuere, (*illud enim omnino requiro, & ità antehac Witebergæ Nobiliss. Dn. Martini, Jctus, Consiliar. Saxon. & P.P. in collegio rubricarum, quod vocabatur, me edocuit.*) foeminam, ut libidinem expleat & matrimonium consummet, rapiat. Pro ratione tamen personarum. Qui non habet in ære, proverb. est, luat in corpore. Judex ergò in magnos & prædivites ex loco pœnæ corporalis, vulgò sic dicitur, pecuniariam statuet. Ità tamen ut fama prorsùs perdatur. Vix certè, ut credam, in Saxonia *c. desponsatas puellas. 27. q. 2.* observari, adducor. In eò legitur: desponsatas puellas, & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant desponsatae, etiamsi eis à raptoribus vis illata constiterit, cui *in ead. q. c. raptor. & c. statutum est*, in quibus raptæ licentia alii quàm sponso nubendi non denegatur, sentio non adversari. Nam intelligo *d. c. Desponsatas.* desponsâ, quam sponsus, utut stupratam, ducere minùs renuit; hæc verò duo de istâ, quam sponsus recipere prorsùs non vult. Et tamen ità demum licentia alteri nubendi foeminæ datur, quòd si minùs rapienti sese consensum (*puta spontaneum*) dederit. Hoc certum est, *secundùm d. c. statutum est. in fin.* conjunctionem matrimonialem raptæ cum raptore eò in casu nequaquam concedi. Raptor autem ejusmodi *in dd. cc. raptor. & statutum est.* Publicam dare pœnitentiam, ac sine conjugii spe manere debet.

#### POSITIO 4.

Etiam si copula carnalis minùs sit secuta, raptor tamen non est à mortis pœna liberandus. *arg. d. l. un. C. §. 8. I. de jud. publ. l. s. §. fin. ff. ad l. Jul. de vi publ. l. raptores. C. de Episc. & Cleric. Aliud quidem apud nos in usu est.*

#### EXPOSITIO.

Verum hunc raptum esse suprâ jam in c. 4. ostendi. Capitalis ergò ipsius pœna. Equidem non punimus, quòd raptor stupra-

D 3

vit,

vit, sed quòd vim fecit. Et sic hodiernum in terris, quæ jus exercent civil. comm. hõc in casu fieri experientia tradit. *Ità vult. Boss. l. c. n. 14. & quos refer: Clar. l. 5. sentent. §. raptus. n. 4.* Hippol. de Marsil. distingvit; utrum pœnitentia ductus raptor, ac voluntate mutatâ non cognoverit raptam, an verò contra voluntatem aliquò interveniente impedimento à copulâ abstinuerit, ut priori quidem casu cesset pœna, hoc verò ordinaria locum sortiat. *Carer. l. c. n. 8. post Angel. & Dec. conf. 234.* planè negat ex d. l. un. hõc modò delinquentem puniendum. *Juxta Damhoud. d. c. 95.* ipse etiam hujus criminis conatus æquè ac si factum ipsum omnino perpetratum, vindicatur. *Hunn. ubi de hoc casu in q. 38. ad vol. 2. Treutl. Diss. 32.* violentum stuprum cum raptu prorsus confundit. Ne multa. Interpp. tam varii hîc sunt, ut mirum sit, ab illis, qui unum habent jus, tam multifarias sententias proficisci posse. De hõc certus sum, quòd in nostris terris hodie capitalis pœna locum non habeat propter subsequens matrimonium. *vi. Dn. Carpzov. d. l. q. 75. n. 68. ubi per multos pro hâc sentent. at leg. confer Boerii Decis. 100. n. 17.* Principis itaque sententiæ pœnam relinquimus.

#### POSITIO 5.

Fœmina fœminam, mas marem, libidinis causa rapiens capitali pœnâ tenetur.

#### EXPOSITIO.

Nervosè argumentatur Anton. Matt. *d. l. n. 3.* Si constituti one *l. un. C. de rapt. virg.* tenetur, qui mulierem rapuit libidinis non monstræ causa; ergò multò magis, qui rapuit Veneris præposterae & Sodomiticæ gratia. Ità quoque vult Salic. *in d. l. un. n. 11. adductus text. l. fœdissim. C. ad L. Jul. de adul.* Decianus sæpe *d. 7. n. 28.* (à quò absq; ratione Menochius *d. c. 291. divertit.*) Saliceti traditionem admittit in muliere, quæ nymphium magnum habeat, hoc est, carunculam illam excrescentem, quæ ut hominis membrum (sic venia relationi) erigitur, & ad coitum ac si vir esset, incitat; quemadmodum ex Æginetâ & Galenò passim in *lect. suis antiq. Cæl. Rhod. docet. Confer Paul. Grillandum. in tr. de pœn. omnif. coit. q. 10. citat. à Ludov. Carer. d. l. n. 30.*

p. m.





p. m. 202. vi. Domboud. c. 96. per. r. confer Constitut. Carol. V.  
crim. 116.

### POSITIO 6.

Rapiens libidinis causa juvenculam impubem mortis da-  
mnatur.

### EXPOSITIO.

Ita rectè statuit Carer. l. d. p. m. 203. n. 13. post Guido. Pape-  
decis. 555. Bald. in l. eam quam. C. de fideicomm. & Mar. in d. sepius  
l. un. circ. fn. Quamvis juxta Damhoud. d. c. 95. n. 14. quidam exi-  
lium saltem poenæ locò habeant.

### POSITIO 7.

Maritus maritam rapiens ordinariæ raptûs poenæ non  
subest.

### EXPOSITIO.

Ratio, quia finis raptionis deest. Neque puto, quòd raptus  
propriè vocari possit, quando conjux conjugem abducit, vel ob  
religionem &c. potiùs aliqua saltem seductio.

### POSITIO 8.

Omnes qui opem ferunt capitali poenâ affliguntur *ubi jus*  
*civ. viget; ubi verò jus Canon. arbitrariam patiuntur*  
*poenam.*

### EXPOSITIO.

Sic non ità pridem in Hollandia factum, cum Catharina von  
Orleans raperetur, percepimus. Raptoris enim ex ministris  
uuis laqueò necabatur. Complices supra in c. 2. nominavimus,  
qui consilium ferunt & instigant, qui mandant, qui ratum nefas  
habent, qui comitantur raptorem, qui cum prædâ suâ rapientem  
vim non ignorantes suscipiunt &c. Rectè. Ducimur sic LL. quàm  
plurimis l. 50. §. 4. ff. de fur. d. l. un. C. de rapt. virg. l. 1. §. incidit.  
ff. ad SC. Turpill l. 12. ff. ad L. Jul. de adul l. 14. in pr. eod. l. 1. §. 4. de  
serv. corr. l. 36. ff. de fur. l. 11. §. Attilic. ff. de injur. l. 54. §. qui fer-  
ram. ff. de fur. l. 7. ff. ad L. Pomp. de Parr. l. 1. §. 1. ff. ad L. Corn. de  
Sicar. l. 1. ff. de recept. l. 6. C. de his quib. ut indign. l. 5. C. de accus.  
l. pen. C. d. reb. vel acty. mor. fur. l. 8. C. de calum. l. 1. §. dejecisse. ff.  
de

*de vi & vi arm. l. 5. §. ult. ff. quod vi aut clam. l. 152. §. in malefic.  
ff. de R. J. l. 45. ff. ad L. Aquil. l. 3. de noxal. l. 24. §. 6. ff. de damn. l.  
9. ff. de fals. & l. quisqis. C. ad L. Jul. maj.*

Superfunt adhuc non pauci puniendi, sed promissæ brevi-  
tatis memor latis maximè necessariis reliqua minùs necessaria  
(quæ etiam ex præcedentibus capit. quodammodo elici pote-  
runt) studiò hîc linquens ad Te, Omnipotens, venio.

Tibi, quas debeo, longè humillimas gratias humil-  
limè ago, & uti Tuò in nomine laborem meum aggres-  
sus sum, ità in eodem eundem

**FINIO.**

Applausus  
cùm

*Nobilis, Eximius atq; Præstantissimus*

**DN. JOH. BALTHASAR HIMMELIUS**  
celeberrimorum Theologorum, B. D. Joh.

Nepos Dn. D. Enochii Filius J. U. Cult.  
strenuus

*Cathedram publicam denuo conscenderet.*

**F**elices Patris cineres! quos ausibus istis  
Suscitât & celebris Filius, atq; Nepos.


*Singulari affectui testando L. Mg. scribebam*  
Joh. Ernestus Gerhardus, SS. Theol. D. & P. P.

**W**er der Weisheit sich ergiebet / und auff Gottes Hülffe trawt /  
Hat auff Diamanten-Gründen und auff Felsen fest gebawt :  
Dieses hat auch Ihn bewogen / Werther Freund / dieweil er sich  
Hat der Themis ganz ergeben / früh und späthe embstglic  
Der Gelehrten Schaar gefolget / drum Apollo ist bereit  
Ihm zu krönen mit der Krone / die verlacht die Nichtigkeit.

*eiligst hat dieses hinzusehen wollen*  
**Johann Adam von Schönefeldt.**







ULB Halle  
002 725 983


3




SR

VD 77







1665, 43 33

CUM DEO!

SUS JURIDICUS

DE

PTU,

222  
32

Quem

nifici Jctorum Ordinis Cele-  
simi Jenensis Athenei

Sub

PRÆSIDIO  
GII ADAMI STRUVII,

hlstädt / Consilarii Saxonici,  
ntecessoris, Facultatis Juridicæ Se-  
Provincialis Saxon. & Scabi-  
Assessoris Gravisimi,

*Præceptoris sui atatem submissè  
sibi devenerandi,*

itorum examini expositurus est

*nsuetis d. 10. M. Jun. A. Æ. C.*

*M. DC. LXV.*

LTHASAR HIMMELIUS,

Orlamendensis,

AUTOR.

7 E N Æ,

lebat JOHANNES NISIUS.

